

Operculo Propitiatorio, atque *Cherubis*, habito, competat. Et ne plura, hic, accumulemus argumenta, ipsa *Propitiatorii*, atque *Cheruborum*, constitutio, omnem controversiam, vel ea de causa, facile dirimit, quod כְּרוּבִים, seu **CHERUBIM**, cum *Propitiatorio*, ut in *Cap. L.* demonstravimus, מְקֻשָּׁה, opus continuum, seu, ex una, eademque, massa aurea, à se invicem non divulsa, confectum, fuerint; ita, quidem, ut **CHERUBI**, in ipso *Propitiatorio*, tanquam pavimento quodam, subsistere debuerint. Rei, itaque, veritate motus, ipse **MENOCHIUS**, ingenue, cum *Abulensi*, *Alcazar*, *Ribera*, & aliis, apud eosdem, affirmat, quod **PROPITIATORIUM**, immediate, & proxime, *Fæderis Arce* impositum fuerit, eandem tetigerit, atque texerit, primumque, כַּפֶּרֶת עֹר, officium istud fuerit, ut *Arca* conregeret, maxime, cum, non **JOSEPHUS** tantum, 3. *Antiq.* c. 6. idem doceat; sed, *Scriptura S.* etiam, **PROPITIATORIUM**, per *Operculum*, & *tegumentum*, *Arca*, apertissime, circumscribat. *Scabellum*, itaque, *pedum DEI*, in *Propitiatorio* sedentis, dici, omnino, poterat *Arca*, quatenus, scilicet, **PROPITIATORIUM** ipsos *Cherubos*, in quorum alis sedit **DEVS**, includebat, siquidem, alioqui, *Propitiatorium*, seu *Operculum Arce*, quod, per *Synechdochen*, *Arca*, quoque, nuncupatur, non, præcise, *thronus*; sed *tabula throni Dei*, extitit. Hæc, & alia, **LVNDIVM**, in primis, ex merito suo, facile induxerunt, ut pro legitima, quam stitimus, sententia; καὶ πῦξ καὶ λαίξ ipsemet, quoque, & sequenti, quidem, præter cætera, argumento, depugnaret: *Si, enim, inquit, Propitiatorium, elevatum fuisset super arcam, Deusque ei insedisset, sane Scriptura S. id, vel unica vice, indicaret, quæ, autem, semper dicit, DEUM Cheruborum alis insedisse.*

§. 6. Posteaquam, ita, ut arbitramur, solide, evictum
 E 3 est,